

EJERCICIOS PARA HACER EN CLASE

Oraciones coordinadas:

1. *Milites in lumine pontes fecerunt, nam magna pars pontium interrupta erat ab hostibus.*
2. *Tempus omnia delet, urbium turres, hominum stirpem, at nomina hominum illustrium non delet.*
3. *Romani omnes gentes vicerunt omnibusque gentibus iura dederunt.*
4. *Dejotarus magno animo et erecto est, nec unquam succumbit inimicis.*
5. *Est philosophi habere non errantem et vagam, sed stabilem certamque sententiam.*
6. *Nihil est praestantius deo; ab eo igitur mundum necesse est regi.*
7. *Romulus ad spectaculum ludorum vicinos Romae populos invitat atque feminas rapit.*
8. *Non solum ductores nostri, sed etiam universi exercitus ad non dubiam mortem concurrerunt.*
9. *Orator animos saepe in hilaritatem risumve convertat.*
10. *Illa iniusta bella sunt, nam sine causa suscepta sunt.*
11. *Galli turpe esse ducunt frumentum manu quaerere, itaque armati alienos agros demetunt.*
12. *Bonum ex malo non fit; divitiae fiunt autem ex avaritia, divitiae ergo non sunt bonum.*
13. *Antiquis temporibus reges exercitibus praeerant, sed nostris temporibus consules exercituum duces sunt.*
14. *Homines ad homines iuvandos servandosque nobis impellendi sunt.*
15. *Ex omnibus metallis ferrum minime rarum est, aurum autem rarissimum.*

Oraciones subordinadas sustantivas de Infinitivo:

1. *Medicus Pyrrhi nocte ad Fabricium consulem venit promittens veneno se Pyrrhum occisurum (esse).*
2. *Prusias Romanis legatis dixit eos Hannibalis domum facile invenire posse.*

3. *Cogitemus semper illum, quem seruum nostrum vocamus, eodem modo esse ortum ac nos.*
4. *Belgae populi Romani exercitum hiemare in Gallia moleste ferebant.*
5. *Consul nuntiavit Romanos ab hostibus victos esse, eosque Romam contendere atque arcem obsessuros esse.*
6. *Caesari nuntiatum est equites Ariovisti propius accedere, et ad nostros obequitare, et lapides telaque in nostros conicere.*
7. *Postero die prima luce Caesar captivos e castris profectos esse comperit.*
8. *Sub vesperum Caesar portas claudi militesque ex oppido exire iussit.*
9. *Orpheum poetam docet Aristoteles numquam fuisse.*
10. *Scimus milites nostros pugnare, pugnauisse pugnaturusque esse semper pro patria.*

Or. sub. completivas con QUOD

1. *Accidit peropportune quod postero die Germani in castra venerunt.*
2. *Neque in eo solum offenderat quod patriae male consuluerat, sed etiam quod amicitiae fidem non praestiterat.*
3. *Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos, et quod dicendo exprimere sensa possumus.*
4. *Maior pars hominum conqueritur quod homini tam breve ad vivendum tempus detur.*
5. *Non tibi obicio quod hunc virum spoliavisti.*
6. *Accedebat quod saepe omnes homines suum fatum querebantur.*
7. *Multum eos adiuuabat quod flumen ex nivibus creverat.*
8. *Mirari Cato se aiebat quod non rideret harupex, haruspicem cum videret.*
9. *Accedebat quod Galli suos liberos ab se abstractos obsidum nomine dolebant.*
10. *Tibi gratias ago quod me omni molestia liberavisti.*

Or. sub. completivas con UT, NE, QUOMINUS y QUIN

1. *Senatus decrevit darent operam consules ne quid respublica detrimenti caperet.*
2. *Fieri solet ut homines multa loquantur et pauca agant.*
3. *Omnes metuebant ut ex hoc morbo amicus convalesceret.*
4. *Non dubito quin tibi ingenio nemo praestiterit.*
5. *Nec aetas impedit quominus agri colendi studia teneamus.*
6. *Cavete ne spe praesentis pacis perpetuam pacem amittatis.*
7. *Accidit ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere.*
8. *Timor deinde patres incessit ne civitatem sine imperio, exercitum sine duce, vis aliqua externa adoriretur.*

9. *Nihil sapienti potest obstare quominus beatus sit.*
10. *Caesar ad Ariovistum legatos misit et ab illo postulavit ut colloquio locum eligeret.*

Or. sub. interrogativas indirectas

1. *Caesar Dumnorigi custodes ponit ut quae agat, quibuscum loquatur scire possit.*
2. *Rana rugosam inflavit pellem et natos suos interrogavit an bove esset latior.*
3. *Quaero ex te utrum id verum sit an falsum.*
4. *Quid agas de omnibus rebus et quid factururus sis, fac nos diligentissime certiores.*
5. *Pater interrogavit filium velletne secum in castra proficisci necne.*
6. *Prima contio Pompei qualis fuisset scripsi ad te antea.*
7. *Videamus primum deorumne providentia mundus regatur, deinde consulantne rebus humanis.*
8. *Ulixes Nausicaam rogavit deane esset an mortalis; at Nausicaa Ulixem interrogavit quae esset eius patria.*
9. *Minos in inferis homines interrogabat quomodo in terris egissent.*
10. *Posthac non scribam ad te quid factururus sim, sed quid fecerim.*

Or. Sub. Adjetivas o de relativo

1. *Caesar iter in ea loca facere coepit in quibus esse Germanos audiebat.*
2. *Nonnulli sunt qui aut ea quae imminent non videant, aut ea quae vident dissimulent.*
3. *Augustus, cuius auctoritas magna fuit, electus est dictator perpetuus.*
4. *Prima luce omnem equitatum, qui novissimum agmen moraretur, praemisit.*
5. *Epicurus est non satis politus eis artibus quas, qui tenent, eruditi appellantur.*
6. *Caesar Helvetios in fines suos, unde erant profecti, reverti iussit.*
7. *Sunt permulta quae orator a natura nisi habet, non multo a magistro adiuvatur.*
8. *Ego habeo senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis aviditatem auxit, potionis et cibi sustulit.*
9. *Iuppiter, cui Romani in Capitolio templum dedicaverunt, maximus deorum erat.*
10. *Nulla enim est natio quam pertimescamus, nullus rex qui bellum populo Romano facere possit.*

O. sub. adverbiales finales

1. *Reguli in unum convenerunt ut inter se de cunctis negotiis disceptarent.*
2. *Eo consilio domos suas Helvetii reliquerant, ut toti Galliae bellum inferrent.*

3. *Suscipienda bella sunt ob eam causam, ut sine iniuria in pace vivamus.*
4. *Milites dux iusserat in genua subsidere quo tutiores essent a sagittarum ictibus.*
5. *Iudex punit non quia peccatum est, sed ne peccetur. Legum idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.*
6. *Catilina affirmabat se in exsilium proficisci ut res publica salva foret, neve seditio oreretur.*
7. *Carthaginenses legatos alios ad Scipionem ut inducias facerent, alios Romam ad pacem petendam, mittunt.*
8. *Bituriges ad Haeduos legatos mittunt subsidium rogatum, quo facilius hostium copias sustinere possint.*
9. *Athenienses miserunt Delphos consultum quidnam facerent de rebus suis.*
10. *Exsules Thebani omnes fere Athenas se contulerant, non quo sequerentur otium, sed ut patriam recuperare niterentur.*

Or. Sub. Adv. Causales

1. *Pugiles in iactandis caestibus ingemescunt, non quod doleant animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur, venitque plaga vehementior.*
2. *Cum solitudo et vita sine amicis insidiarum plena sit, ratio ipsa nos monet ut amicitias comparemus.*
3. *Romulus eiusque socii, cum uxores non habuerint, mulieres Sabinas rapere statuerunt.*
4. *Quia dives es, non idcirco beatus es; quia pauper, non idcirco miser.*
5. *Quandoque extra ordinem in hostem pugnavisti, punitus eris.*
6. *Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium pugnaverit, necari iussit.*
7. *Validior apud eos Arminius erat quando bellum suadebat.*
8. *Solis ortus, cursus, occasus nemo admiratur quod cotidie fiunt.*
9. *Nemo patriam amat quia magna est, sed quia sua.*
10. *Inimicos habeo cives Romanos quod sociorum iura defendi.*

Or. Sub. Adv. Comparativas

1. *Ut saepe nobilitatem, sic ea tempestate plebem ex secundis rebus insolentia ceperat.*
2. *Plato rationem in capite sicut in arce posuit.*
3. *Quid est oratori tam necessarium quam vox?*
4. *Sapiens e vita, tamquam ex hospitio, non tamquam domo discesit.*
5. *Tanta poena afficimus improbos quantum aequitas humanitasque patitur.*

6. *Non aliter hodie cogitat quam olim cogitabat.*
7. *Ut quisque doctissimus est, ita modestissimus.*
8. *Quanto erat in dies gravior atque asperior oppugnatio, tanto crebriores litterae nuntiique ad Caesarem mittebantur.*
9. *Ut ignis aurum probat, sic miseria probat virtutem.*
10. *Ut erat laena amictus, ita venit in contionem.*

Or. Sub. Adv. Consecutivas

1. *Ea condicione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.*
2. *Tantum honorum in me cumulasti ut nihil felicitatis meae desit.*
3. *Tantus fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus ut eum motum terrae... nemo pugnantium senserit.*
4. *Ita hostes repente celeriterque procurrerunt ut spatium pila in hostes coniciendi non daretur.*
5. *Impiorum nemo tam audax umquam fuit quin abnueret a se commissum esse facinus.*
6. *Pompeius Atticus sic Graece loquebatur ut Athenis natus videretur.*
7. *Tanta vis probitatis est ut eam etiam in hoste diligamus.*
8. *Risus saepe ita repente erumpit ut eum cupientes tenere nequeamus.*
9. *Ea celeritate atque eo impetu milites ierunt ut hostes impetum legionum sustinere non possent.*
10. *Nulla bestia sic immanis est ut catulos suos non amet.*

O. Sub. adv. Concesivas

1. *Druentia amnis, cum aquae vim vehat ingentem, tamen non navium patiens est.*
2. *Tametsi nostri a duce et a fortuna deserebantur, tamen omnem spem salutis in virtute ponebant.*
3. *Inimicum, quamvis humilem, prudentis est metuere.*
4. *Homo, quamvis sit doctus, multa ignorat; vir doctus, tametsi multa scit, multa tamen se nescire sentit.*
5. *Cum victoriam non speraret, tamen Leonidas usque ad mortem pugnavit.*
6. *Deum etsi non videmus, tamen ex operibus eius agnoscere possumus.*
7. *Ut rationem Plato nullam afferret, tamen ipsa auctoritate me frangebatur.*
8. *Paupertas malum est, mendicus ergo beatus nemo potest, quamvis sit sapiens.*
9. *Iugurtha, cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen carus erat.*

10. *Adherbal, tametsi Romam legatos miserat, qui senatum docerent de caede fratris, tamen parabat armis contendere.*

Or. Sub. Adv. Temporales

1. *Metellus ubi primum magistratum ingressus est, ad bellum quod gesturus erat animum intendit.*
2. *Cum vos considero, milites, et cum facta vestra aestimo, magna me spes victoriae tenet.*
3. *Simul ac fortuna dilapsa est, devolant omnes amici.*
4. *Caesari cum id nuntiatum esset, maturat ab urbe proficisci.*
5. *Hi cum Caesarem in itinere convenissent et pacem petiissent, paruerunt.*
6. *Dum ea conquiruntur et conferuntur nocte intermissa, circiter hominum milia sex ad Rhenum contenderunt.*
7. *Antequam de re publica dicam ea quae dicenda (esse) arbitror, exponam breviter consilium profectionis meae.*
8. *Epicurus ex animis hominum extraxit radicibus religionem cum diis immortalibus et opem et gratiam sustulit.*
9. *Oppidani, simul atque signa nostra viderunt, portas aperierunt.*
10. *Facile omnes, cum valemus, recta consilia aegrotis damus.*

O. sub. Adv. Condicionales

1. *Pecunia, si ea scis uti, ancilla est; si nescis, domina.*
2. *Si Hasdrubal exercitum suum cum Hannibalis fratris exercitu iungere potuisset, Romani in magno discrimine fuissent.*
3. *Si vincimus, omnia nobis tuta erunt. Si metu cesserimus, eadem illa adversa fient.*
4. *Memoria minuatur nisi eam exerceas, aut etiam si sis natura tardior.*
5. *Nisi Alexander essem, ego vero vellem esse Diogenes.*
6. *Vinceris dolore si cesseris; vinctes si te contra dolorem intenderis.*
7. *Si possent homines facere sibi sortem nascendi, nemo esset humilis, nemo egenus; sed natura nos regit.*
8. *Me dies, vox, latera deficiant si haec omnia enumerare velim.*
9. *Nisi Latini sua sponte arma sumpsissent, capti et deleti eramus.*
10. *Servi mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam (esse) putarent.*

Textos

Hominum est infinita multitudo creberrimaque aedificia fere Gallicis consimilia, pecorum magnus numerus. Utuntur aut aere aut nummo aureo aut taleis ferreis ad certum pondus examinatis pro nummo. Nascitur ibi plumbum album in mediterraneis regionibus, in maritimis ferrum, sed eius exigua est copia; aere utuntur importato. Materia cuiusque generis ut in Gallia est, praeter fagum atque abietem. Leporem et gallinam et anserem gustare fas non putant; haec tamen alunt animi voluptatisque causa. Loca sunt temperatiora quam in Gallia, remissioribus frigoribus.

César, *Bellum Gallicum*, V, 12

Hi neque vultum fingere neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur. Horum vocibus ac timore paulatim etiam ii qui magnum in castris usum habebant, milites centurionesque quique equitatu praerant, perturbabantur.

César, *B. G.*, I, 39

Claudius natus est Iulo Antonio Fabio Africano cons(ulibu)s. Kal. Aug. Luguduni eo ipso die quo primum ara ibi Augusto dedicata est, appellatusque (est) Tiberius Claudius Drusus. Mox fratre maiore in Iuliam familiam adoptato Germanici cognomen assumpsit. Infans autem relictus (est) a patre ac per omne fere pueritiae atque adulescentiae tempus variis et tenacibus morbis conflictatus est.

Suetonio, *De vita duodecim Caesarum*, V, 2

Sub occasu pacata erat fere omnis Hispania, nisi quam Pyrenaei desinentis scopulis inhaerentem citerior adluebat Oceanus. Hic duae validissimae gentes, Cantabri et Astures, immunes imperii agitabant. Cantabrorum et prior et magis pertinax in rebellando animus fuit, qui non contenti libertatem suam defendere proximis etiam imperitare temptabant Vaccaeosque et Turmogos et Autrigonas crebris incursionibus fatigabant.

Floro, *Epitome*, II, 33, 46-51

Caesar vacuum urbem ingressus dictatorem se fecit. Inde Hispanias petiit. Ibi Pompeii exercitus validissimos et fortissimos cum tribus ducibus, L. Afranio, M. Petreio, M. Varrone, superavit. Inde regressus in Graeciam transiit, adversum Pompeium dimicavit. Primo proelio victus est et fugatus, evasit tamen, quia nocte interveniente Pompeius sequi noluit, dixitque Caesar nec Pompeium scire vincere et illo tantum die se potuisse superari.

Eutropio, *Breviarium*, VI, 20

Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri, sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno. (5) Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videtis intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. [...]

Cicerón, *Catil.*, I, 5

Accepi ab Aristocriso tres epistulas, quas ego lacrimis prope delevi; conficior enim maerore, mea Terentia, nec meae me miseriae magis excruciant quam tuae vestraeque; ego autem hoc miserior sum quam tu, quae es miserrima, quod ipsa calamitas communis est utriusque nostrum, sed culpa mea propria est. Meum fuit officium vel legatione vitare periculum vel diligentia et copiis resistere vel cadere fortiter. Hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit.

Cic., *Ep. ad Fam.* XIV, 3

De vulpe et uva

«Spernit superbus, quae nequit assequi».

Fame coacta vulpes alta in vinea

uvam adpetebat summis saliens viribus;

quam tangere ut non potuit, discedens ait:

“nondum matura est, nolo acerbam sumere.”

Qui, facere quae non possunt, verbis elevant,

Adscribere hoc debebunt exemplum sibi.

Esopo, *Fab.*, IV, 3